



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Meditatio 4. Electio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

**VOL.** Quando ità conducit ad finem, dicamus cum Apostolo 2. Cor. 12. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis: & abominemur honores, qui à fine abducunt Hominem, quia gloria ejus stercus & vermis, 1. Mach. 2. amemus indifferentiam.*

**PUNCTUM IV.** MEM. *Longa & brevis Vita.* Concluseramus hæc duo etiam non aliter esse quaerenda: quàm ob finem nostrum.

**INTEL.** Per se sequitur ulterior conclusio, quod debeamus esse indifferentes: ne major vitæ amor nos à fine nostro abducat. **REFL.** Et videamus, an non ideò laudem, reverentiam, servitium Dei, & salutem nostram aliquando neglexerimus.

**VOL.** Dicamus cum Apostolo Rom. 14. *Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Nil igitur debet tollere indifferentiam.

**COLLOQ.** Petamus donum *sapientia & intellectus*, ad indifferentiam assequendam.

**RECOLLECTIO.**

## MEDITATIO IV.

*Electio.*

**CONGRUA.** Quomodo artifex & quisvis volens finem, eligat instrumenta aptiora.

B

PRÆL.



PRÆL. I. Verba hæc: *consentaneum est ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt, eligere ac desiderare.*

PRÆL. II. Petere Gratiam bene semper eligendi.

PUNCTUM I. *Sanitas & aegritudo.* MEM. Recordemur indifferentiam præcedenti meditatione circa hæc conceptam.

INTEL. Indifferentiâ positâ, ratio docet, sanitatem, si non ducat ad finem, postponendam aegritudini. REFL. Videamus an in victu, vestitu, habitatione, missione, labore, vigiliis, & similibus interdum non immodicè & perversè elegerimus *sanitatem præ aegritudine*, cum jacturâ obedientiæ, zeli animarum, & finis nostri.

VOL. Offeramus Corpus nostrum quasi in holocaustum Deo, cui tamquam fini nostro servire debemus, & eligamus potius dolores & infirmitates, quando fini nostro ita expedit. *Nos infirmi, vos autem fortes*, dicebat Apostolus 1. Cor. 4. & alibi, *per infirmitatem carnis*, inquit, *evangelizavi vobis.* Gal. 4. excitemus nos hiæ ad eligendum,

PUNCTUM II. *Divitia & Paupertas.* MEM. Recolamus, quæ ante de his meditati sumus.

INTEL. Ratiocinemur, ex prædictis necessariò concludi, eligendam esse paupertatem, quando magis conducit ad finem nostrum: tamen cupiditas divitiarum causa est plurimarum perversarum



rum electionum. REFL. Examinemus, an nos quoque tali cupiditate divitiarum, & commodorum iis junctorum, non fuerimus abstracti à fine nostro.

VOL. Finis noster est servire Creatori nostro, & mandatis ejus obtemperare, dicamus igitur cum Proph. Ps. 118. *Dilexi mandata tua super aurum & topazion*, & præ his illa elegi.

PUNCTUM III. *Honor & contemptus*. MEM. Repetamus præcedentem meditationem de his duabus rebus.

INTEL. Consideremus hîc esse scopulum, ad quem Electiones sæpe franguntur & corrumpuntur. Nemo tamen sanæ mentis considerans superiores meditationes judicabit contemptum non esse eligendum, quando honor abducit à fine. REFL. Cogitemus an nostræ electiones ad hunc scopulum non fuerint passæ naufragium.

VOL. Dicamus cum Regio Propheta Ps. 83. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*.

PUNCTUM IV. *Longa & brevis vita*. MEM. Repræsentemus nobis decreta præcedentium meditationum.

INTEL. Patet iterum liquidò vitam potius perdendam, & eligendam mortem, quam ut contra finem creationis nostræ faciamus. REFL. Videamus an præ nimio vitæ amore sapius electio nostra turbata non fuerit.

VOL. Cum S. Francisco Xaverio reddamus nobis familiarem hanc Christi vocem: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam*. Matt. 10.



COLLOQUIUM. Petamus à Deo donum *Consilii*, ut per Electiones nostras recta ad finem creationis nostræ tendamus: RECOLLECTIO.

Haëtenus de FUNDAMENTO, cui innituntur omnia Exercitia. Nunc incipiunt meditationes hebdomadæ primæ propriè dictæ.

## MEDITATIONES PRIMÆ HEBDOMADÆ.

**Q**uinq; prima Exercitia hujus hebdomadæ, hîc non repetimus; sunt enim satis explicata in ipso libro *Exercitiorum*; præsertim si legantur junctæ *Explanationes*. Itaque transibimus ad Meditationem sextam: Repetitiones tamen (quamvis nullatenus sint omittendæ) deinceps in numero Meditationum non reponemus: satis patet, quomodo illæ ad normam S. P. Nostri fieri debeant.

Quoniam verò in *Explanatione* posita post *Tres modos orandi*, tria genera meditationum *Prima Hebdomada* notavimus à S. P. Nostro esse data: primum, cum tres animæ potentiaë exercentur ad singula puncta, ut fit in *Exercitio I*. Alterum, cum quædam puncta potissimum soli memoriæ; quædam intellectui; quædam voluntati attribuuntur, ut fit in *Exercitio II*. Tertium, consistens in quadam sensuum applicatione, ut fit in *Exercitio V*. Nos deinceps per hujusmodi ternarios ordines progrediemur. Facile autem erit unicuique post duas cujusque ternarii meditationes, inter.